



I.

**O**Rditur rectius Philosophia Naturalis, à Causis corporis naturalis, per quas corpus naturale constituitur & cognoscitur, quàm à Principiis illis Peripateticis, falsis, alienis, & inexplicabilibus: quippe quæ partim in eâ nullam merentur sedem, ut privatio; partim purum sunt Ens rationis, & putum quorundam hominum figmentum, ut Materia prima. Contra Aristotelicos omnes, Roderic. de Arriaga, Franciscum Bonæ Spei. Hedefons. de Pennafiel, Lemandet, Syarez, Abra de Raconis, Gilbertum ab Isendorn, & alios.

II.

Sapienter & prudenter Natura tota quicquid agit, agit; adeoq; tota appetit suum finem, tota etiam cognoscit suum finem: Omnia autem quæcunq; facit, propter hominem facit, homo propter Deum, Contra Non-Neminem. Vid. defens. Syn. Sperl. c. 4. p. 605. seq.

III.

Monstrorum theoria omninò ad Physicam spectat. falsò autem vulgo & ineptè Monstrum definitur, quòd sit *Effectus naturalis, à rectâ & solitâ dispositione secundum speciem degenerans*. Rectius, quòd sit *effectus naturalis, cum insigni deformitate à causâ efficiente & aberrante productus*. Illud autem ad pulchritudinem universi ne quicquam facit. Cont. Conymb. l. 2. c. 9. qu. 6 art. 2. Conf. Sperl. Iustit. lib. 1. c. 9. p. 237. & 280.

IV.

Fatum Stoicum, stultum est ac brutum; pro quo laudamus Theologicum, commendamus Astrologicum, & acceptamus Physicum. Vid. Sperl. c. 10. p. 283.

V.

Speciem aliquam periisse in mundo, quicunq; dicit, naturam

ram